

nialiter coniungi, vicarius capitularis sede vacante, abbates Ecclesiarum nulli episcopo subjectarum, et omnes sacerdotes sive sæculares, sive regulares a supradictis respective delegati; *communis* cum Barbosa *super Trident.*, sess. xxiv, *De reform. matrim.*, cap. 1, et lib. ii *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 33.

(62. Sufficit parochus proprius alterutrius sponsi. *Communis*. Sic enim declarasse sacram congregationem concilii referunt Sanchez, lib. iii, disp. 19, n. 4; Bosco, *De matrim.*, disp. 11, sect. 9, concl. 13; Fagnan., lib. i, *Decret.*, cap. Quoniam, *De constit.*, n. 5; Reiff., lib. iv *Decret.*, tit. 3, n. 56 et alii. (63. Et est validum matrimonium etiamsi unus parochus assistat in parochia alterius, quamvis diversæ diocesis, v. gr. parochus viri, seu sacerdos ab ipso delegatus in parochia mulieris, et e contra; sic declarasse sacram congregat. conc. refert Pignatell., tom. V, consult. 79, a n. 16, ubi adducit ipsasmet declarationes, et La Croix, lib. vi, part. 3, n. 731, ubi adducit sacr. congreg. declarationem, et tenent passim doctores. (64. Imo potest proprius parochus assistere matrimonio suorum parochianorum in alterius parochia sine licentia parochi illius loci in quo assistit; Hurtado *De matrim.*, disp. 5, difficult. 6, n. 22, ubi extendit etiam extra episcopatum, Sanch., Salzed., Spinol., Passerin., Coninchius, Reginaldus, Bonacina, Guttierrez, cum Barbosa *De offic. et potest. episcop.*, lib. ii, alleg. 34, n. 95, et *De offic. et potest. parochi*, part. ii, cap. 21, n. 58, et super concilium sess. xxiv, *De reformat.*, cap. 11, n. 71, et ita etiam tenent Bosco, *De matrim.*, disp. 21, sect. 9, conclus., 11, n. 406; Castropal., *De sponsalibus*, disp. 2, punct. 13, § 9, n. 3; Perez, *De matrim.*, disp. 49, sect. 2, n. 7; Pirhing, lib. iv *Decret.*, tit. 3, n. 15; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 63, ubi testatur de communi contra Pontium, qui l. I, *De matrim.*, c. 16, n. 4, assert pro sententia contraria declarationem sacræ congreg. quæ tamen, ut recte respondet Sanchez, *loc. c.*, n. 19; Bosco, *loc. c.*, n. 408; Reiffenstuel, *loc. c.*, n. 64, et alii, intelligenda est de sola illicita solemnî, præsertim cum benedictione sacerdotali, quia talis solemnî assistentia fit cum quodam quasi strepitu iudiciali illicito in territorio alterius. Et dato quod tales declarationes militarent etiam contra valorem matrimonii, responderetur eas esse correctas ab alia subsequenti declaratione recentiori, prout testatur Fagnanus in cap. *Quod nobis* 2, *De clandestina desponsat.*, n. 53, addens, Sanctissimum, audita relatione opinionum congregationis statuisse, quod ita in futurum respondeatur, nulla habita ratione alterius decisionis editæ 15 Dec. 1574.

(65. Quinimo non solum valide, sed etiam licite de iure potest proprius parochus alterutrius sponsi assistere matrimonio privatim, et absque solemnitate et benedictione publica celebrato in aliena parochia; Perez, *De matrim.*, disp. 40, sect. 2, n. 7; Sanch., lib. iii, disp. 19, n. 18; Guttierrez, *De matrim.*, cap. 63, n. 6; Castropalao, *loc. c.*, disp. 2, punct. 13,

§ 9, n. 5; Bosco, *loc. c.*, conclus. 13, n. 11; Reiffenstuel, *loc. c.*, n. 65 et alii plures contra Pontium et alios. Et ratio est quia nullo iure talis assistentia est prohibita si fiat privatim et sine solemnitate publica; concilium enim Tridentinum ad valorem matrimonii solum requirit quod fiat in præsentia proprii parochi, non vero ut fiat in propria parochia eo quod per solam assistentiam, ubicunque matrimonium celebretur, jam vitatur clandestinum matrimonium adeoque finis concilii servatur. Et sacr. congreg. Concil. declaravit posse proprium parochum assistere matrimonio etiam in aliena parochia, ut patet ex dictis supra n. 63, ut refert etiam Fagnan. in lib. i. *Decret.*, cap. Quoniam, *De constit.*, n. 25. Nec potest dici quod illicitè assistat cum nemo possit extra proprium territorium jurisdictionem exercere; argum. cap. final. *De constitutionibus* in 6. Non valet, inquam, quia talis assistentia non est actus pertinens ad jurisdictionem contentiosam, imo neque ad voluntariam, ut recte notant doctores cum Barbosa *loc. c.* (66. Proprius autem parochus est parochus habitationis, seu domicili, seu quasi talis, nec sufficit parochus originis, nisi etiam sit habitationis. *Communis* cum Bosco *loc. c.*, concl. 11, n. 400, ubi assertit sic declarasse sacr. congreg. conc.

* Hinc paucis ab hinc annis magna orta est controversia inter parochum sponsæ ex una et sponsi parochum ex alia parte. Nam cum pridie quam nuptiæ celebrarentur sponsa ad sponsi domum se contulisset eum invisendi gratia, nimis pluvisque impedita ne ad paternam domum rediret simul cum matre in domo sponsi pernoctavit. Die sequenti accitio parochi sponsæ in sacello domestico ipsius sponsi coram illo celebrata sunt nuptiæ. Sponsi parochus matrimonium illud nullum esse statim affirmavit; quia celebratum coram parochi neque proprio sponsi, ut patet, neque proprio ipsius sponsæ, quippe quæ pridie jam mutaverat domicili; ergo coram parochi omnino alieno. Contra vero parochus sponsæ decertabat pro validitate matrimonii quia sponsa licet corpore nondum tamen animo ea nocte domicilium mutaverat, eademque ratione in domo sponsi pernoctaverat, qua pernoctaverat ejus mater, utraque nempe tanquam mere hospes. Quod alio argumento confirmabat. Nam si de facto sponsa in domo sponsi ea nocte occubuisset, jus funeris non ad sponsi parochum, sed ad ipsum parochum sponsæ spectasset. Ergo parochus sponsæ nondum amiserat suum jus respectu matris*.

(67. Proprius parochus valide et licite assistit matrimonio, etiamsi nondum sit sacerdos; sic declaravit sacr. congreg. Conc. in *Abulensi* 12 Mart. 1593, lib. vii *Decret.*, fol. 193, apud Monacell. tom. II, tit. 16, formul. 2, n. 34, et apud Piton., *Constit. ad parochos*, num. 160, et jam propter talem declarationem tenent Reiffenstuel, *loc. c.*, num. 70; Sanchez, lib. iii, disp. 20, a num. 3; Pontius, lib. v, cap. 47, num. 4; Barbosa in *Conc. Tr.*,

sess. xxiv, *De reform.*, cap. 1, num. 81 et 88, et *De offic. et potest. episcop.*, alleg. 32, n. 101, et *De offic. parochi*, cap. 21, num. 51, cum plurimis ibi citatis et alii communiter contra nonnullos a Sanchez citatos. (68. Licentia tamen assistendi matrimonio non potest concedi alicui, qui non sit sacerdos; Sanchez, lib. iii, disp. 20, num. 10; Layman, lib. v, tract. 10, part. ii, c. 4, n. 4; Palao, *De sponsalibus*, disp. 2, punct. 10, c. 5; Reiffenstuel, *loc. c.*, n. 81, et alii passim; arg. conc. Trident., *loc. c.*, ubi expresse requirit ut deligendus sit sacerdos, ibi: *Vel alio sacerdote*.

(69. An affectante parochi non audire verba, vel non videre nutus attentantium clandestine contrahere matrimonium, et revera illa non audiente, vel istos non vidente, validum sit matrimonium coram ipso attentatum? Variant doctores. Affirmativam sententiam inter alios tenent Fagnanus in cap. Quoniam 13, *De constitutionibus*, n. 25, et in cap. Quasitum est 7, *De penitentiis et remissionibus*, n. 7, testans sacram congregationem declarasse a validum esse matrimonium contractum coram parochi etiam invito, et per vim adhibito, quamvis nihil eorum, quæ agebantur, vidit et intellexit, si affectavit non intelligere, ut in parochi, qui obturaverit aures suas, ne audiret. Riccius, in *Prax. for. eccles.*, resol. 213, n. 3, Pontius, *De matrim.*, lib. 1, cap. 25, sub n. 12; Bossius, eodem tract., cap. 3, n. 22; Leander, *Oper. moral.*, tom. II, tract. 9, disp. 7, qu. 50; Barbosa, *De potest. episcop.*, part. ii, alleg. 32, n. 83, et 85, *De officio parochi* par. ii, c. 21, num. 47 et 49, et ad concil., sess. xxiv, *De reform. matrim.*, c. 1, n. 73 et 75. card. de Luca in *annot. ad conc.*, disc. 26, num. 4 et sequent., Natal. Alexand. in *Theolog. dogmat.*, t. II, regul. 10, in fin., fol. 26, quos omnes citat, et sequitur Rota in *Romana matrim.* 4 Febr. 1697, coram Ursino, asserens in simili matrimonio resultare ejus non intelligentiam, ab ipsius parochi positivo facto processisse, proindeque dum ipse causam dedit, quo minus intelligeret, de iure habendus est pro intelligente, dum nesciens ex quo noluit scire, vel affectavit nescire habendus est pro scientie cap. *Cum inhibito* 3, § *Si quis vero*, *De clandestina desponsat.*

(70. Et in dicta Romana circa finem eadem Rota expresse subjungit, quod eoque magis inclinarunt DD. in hanc sententiam, ex quo ipsamet sacra congreg. conc. Trident. interpretes tam antiquis quam modernis temporibus eidem sententiæ adhesisse visa est, et signanter in una *Giennen*. 26 Jul. 1582, in qua super dubio his verbis concepto: « Quid si sacerdos nihil eorum, quæ agebantur vidit, neque audivit? » S. Congregatio declaravit, « non valere matrimonium, si non intellexit, nisi affectasset non intelligere: » in ejus sequelam paucis post annis in una *Ulyssiponen.* etiam consimile decretum pro-

(44) Consule Ubaldi Giraldi librum, cui titulus: *Animadversiones ad Barbosa* DE OFFIC. ET POTEST.

diit, ibi: « Congregatio censuit, si vera sunt, quæ narrantur, et parochus affectaverit non intelligere, matrimonium valere: » et in terminis themati, de quo disputatur, proximioribus in una *Sarzanen.*, 16 Febr. 1648, ubi omissæ fuerunt denuntiationes, parochus contradicebat, et audivit tantummodo verba consensus præstiti per sponsum, dum sponsam habebat præ manibus: « Congregatio censuit matrimonium sustineri, etiamsi parochus non intellexerit verba sponsæ, dum tamen de illius consensu ex aliis signis, juxta juris communis dispositionem legitime constat. » Prout etiam in *Patavina* 16 Maii 1669; in *Toletina* 18 Novemb. 1671, et in *Venetiar.* 11 Mart. 1673, in quibus omnibus, juxta tenorem decretorum, quæ olim in foliis authenticis circumferbantur, resolutum legebatur matrimonium valere, etiamsi parochus verba alterius ex contrahentibus non audierit, vel quia affectaverit non intelligere, vel quia ex quo terga verit, non auscultaverit, vel quia propter iram, aut rurorem, vel quid simile audire non potuit. Et allegata præmissa resolutione in *Giennen.* firmat Fagnan. tum in cap. Quasitum, *De penit. et remissionibus*, n. 7 et 8, tum in cap. Quoniam, num. 25, *De constitutionibus*, una cum aliis supra allegatis. Hactenus Rota apud Ursayam to. I, par. ii, discept. 2, num. 11, 12 et 13. (71. Negativam tamen sententiam verius sustinent innumeri classici doctores, tum theologi, tum canonistæ et signanter Pirhing, in *Jus canonicum*, tom. IV, tit. 3, § 3, num. 2; Reiffenstuel, *ibid.*, num. 106; Engel, *ibid.*, sub num. 14; Pignatell., tom. IX, consult. 133, num. 35; Panimoll., dec. 19, adnot. 1; num. 31, vers. *Vel ab altari fugam arripiat*; Monacell., tom. III, tit. 2, formul. 5, a nu. 6 ad 11; Cabassut., in *Not. Eccles.*, *Notit. ad conc. Trident.*, num. 55, et in *Prax. jur. canonic.*, lib. 3, cap. 26, sub num. 12; Sanchez, *De matrim.*, lib. iii, disp. 39, sub num. 6; Dicastill., *De matrim.*, tract. 10, disp. 19, num. 167; Tanered., *De matrim.*, lib. iii, disp. 39, n. 2; Marchant., in *Tribunal. sacram. de matrim.*, tract. 1, tit. 7, quæst. 5, conclus. 2, vers. *Dices*; Rosignolus, in *Prax. theolog. legal.*, tit. *De matrim.* 1, prænot. 32, sub n. 5, et plurimi alii citati, et secuti ab Ursaya tom. I, par. ii, discept. 1, num. 129, et discept. 2, num. 106 et seq., et tom. III, part. i, discept. 1, § 4, a num. 2 ad 15.

(72. Et ratio viva est, quia eo ipso quod parochus affectando non audire verba, nec videre nutus contrahentium, ipsos revera non videt, et illa non audit, non potest esse testis contracti matrimonii, ad quem effectum sub nullitatis pena illius præsentia præscripta fuit a concilio cap. 1, sect. 24, *De reform. matrim.*, adeoque tale matrimonium tanquam deficiens in forma substantiali, hoc est in uno ex tribus testibus a concilio pro forma requisitis, nullum est in radice; et hoc verum est, sive voluntarie,

PAROCH. impress. Romæ apud Barbiellini ad Mineram, rem egregie pertractantem.

sive ex quocunque alio motivo nequeat parochus testificari de contracto matrimonio, eo modo quo in testamentis, in quibus deficiente, sive ex propria culpa et voluntate sive ex alio accidenti, uno ex septem necessariis testibus, illud est nullum, textu expresso in l. Si unus 12, Cod. De testamentis, et observant Glossa in l. 1, § Si quis negel, ff. Quemadmodum testamenta aperiuntur, Fagnanus in cap. Cum esses, num. 37, De testamentis, Ursaya tom. I, par. I, discept. 2, num. 115, cum Rota et aliis ibi allegatis.

(73. Nec contra istam nostram sententiam militant resolutiones sacre congregationis concilii allegatae supra num. 70, pro alia sententia, quia in tantum in dictis resolutionibus sacra congregatio censuit esse valida matrimonia contracta coram parochis affectantibus, dissentientibus, contradicentibus, fugientibus, et data opera oculos, vel aures claudentibus, ne mutui consensus contrahentium nutus viderent, aut verba audirent, in quantum, istis non obstantibus, perfectissime contrahentium consensum perceperunt; et quamvis consulto, et data opera affectassent, seu finxissent non intelligere ac percipere, revera tamen intellexerunt et perceperunt mutuum actualem contrahentium consensum, ut solide et clare probat Ursaya tom. I, par. II, discept. 2, num. 169 et seq., adducens praecisa verba allatae resolut. in Giennen. 26 Jul. 1582, et infra n. 186 et seq. adducens verba allatae resolut. in Ulyssiponen. et sub numer. 189 et seq. adducens verba in allata Sarzanen. 16 Februar. 1648, et infra num. 239, adducens verba in allata Patavina 16 Maii 1669, et infra sub num. 240 et seq. adducens verba in allata Tolentina 18 Novembr. 1671, et deinde n. 243, adducens verba in allata Venetiarum, seu Vicentina 11 Mart. 1673, et in hunc sensum varias sac. congr. conc. resolutiones citant, et sequuntur Bonac., tom. I, De natura, et propriet. matrim., qu. 2, punct. 8, n. 20; Ledesma, in II part. D. Thomae, quest. 45, art. 5, fol. 201, vers. Quo posito; Gonzales, ad reg. 8 Cancellar., gloss. 48, n. 7; Pignatelli, tom. V, consult. 79, n. 19; Jorius, De matrim., part. IV, qu. 7, De paroch., n. 8; Rodriq., in Summa, c. 218, n. 18; De Justis, De dispensat. matrim., lib. II, cap. 19, num. 98, et pluries resolvit dict. sac. congreg. Conc. signanter in Mediolanen. 15 Dec. 1692, in Brugnaten. 16 Martii 1630, in Comen. 2 Jun. 1674, et in Ruremunden. 23 Aug. 1681, apud Ursayam, tom. I, par. II, discept. 2, n. 109. Et talem esse verum, et germanum sensum resolutionum sacre congregationis Concilii circa parochi affectationem, late ostendit d. Ursaya, tom. III, part. I, discept. 1, § 14, per tot., plurimos ad id allegans doctores, et valida fundamenta adducens.

(74. Nec valet dicere, uti praetendunt patroni contrariae sententiae, quod in dictis casibus parochi affectantis non audire verba, vel non videre nutus contrahentium, sufficiat sola ipsius parochi praesentia physica, seu materialis; non valet, inquam, quia

talis opinio fuit expresse reprobata a sac. congreg. conc. die 6 Mart. 1700. Cum enim, mandante Innocentio XII, die 10 Januarii 1699, fuerint in dicta sacra congregatione proposita resolvenda infra scripta quatuor dubia:

I. « An parochus teneatur prohibere, et quantum in se est, positive resistere clandestinis matrimoniis? et quatenus affirmative.

II. « An ob inopinatum casum, deficientibus aliis mediis prohibendi et resistendi, peccet, vel male faciat parochus tentando fugam, claudendo oculos et aures obturando?

III. « An parochi praesentia, de qua loquitur sacrum concilium in II p. cap. 1, sess. XXIV, De reform. matrimonii, cum illis verbis: « Qui aliter quam praesente parochi, etc. » debeat esse moralis humano modo, vel cum advertentia, ita ut possit esse testis matrimonii actualiter, et de facto contracti, non vero voluntatis contrahendi; vel sufficiat potius sola praesentia physica et materialis?

IV. « An affectante parochi non audire verba, vel non videre nutus attentantium clandestine contrahere matrimonium, et revera illa non audiente, vel istos non vidente, validum sit matrimonium coram ipso attentantium?

« Die 6 Mart. 1700, eadem sacra congregatio Concilii, reprobata opinione quod sufficiat praesentia parochi pure physica, seu materialis, censuit providendum esse in casibus particularibus.

« J. cardinalis SACRIPANTES, praefectus.

Jo. Dominicus THOMATUS, sac. C. secr.

(75. Sic refert Ursaya tom. I, part. II, n. 20 et seq. et n. 258 et seq., et 279. et seq. Qui in eadem discept. a n. 25 ad 29, ad primum ex quatuor allatis dubiis respondet cum plurimis doctoribus, affirmative per expressum textum generalis concilii Lateranensis, relat. in cap. Cum inhibitio 3, § Sane, De clandestina desponsatione, ibi: « Sane si parochialis sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui eisdem praesumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpae qualitas postulaverit: » quae conciliaris sanctio fuit expresse renovata per concil. Trid., sess. XXIV, De reform. matrim., c. 1., post princip.

(76. Et ibid. a n. 38 ad 32, ad secundum dubium respondet negative, quia ad evitandam suspensionis poenam, et ad non committendum peccatum mortale, tenetur parochus omnibus sibi possibilibus modis clandestinis matrimoniis resistere, sicque aliis deficientibus modis, bene facit tentando fugam, claudendo aures et oculos, ut, ipso teste, advertunt fere omnes classici doctores, et Rota part. VII, recent. dec. 124, num. 17, part. VIII recent. dec. 122, per tot., et coram Rojas, dec. 431, num. 5, et resolvit sac. congreg. conc. in Comen. matrim. 2 Jul. 1675, ut in lib. XXVIII Decretor., fol. 312.

(77. Et infra a num. 33 ad 101, cum innumeris doctoribus, variisque decisionibus ac juribus resolvit tertium dubium, solide ostendendo, quod ad validitatem matrim. requiratur parochi praesentia moralis humano modo, et talis naturae et advertentiae, ut possit testificari de matrimonio de facto coram ipso contracto; et nullimode sufficiat ejus praesentia pure physica, seu materialis, ut pluries censuit sac. congregatio concilii, et signanter in Lauden. matrim. 28 Jul. 1678, in qua nullatenus pro valido canonizare voluit matrimonium coram episcopo materialiter et physice praesente contractum, et novissime in Romana matrimonii, die 6 Martii 1700, absolute reprobavit « opinionem, quod sufficit praesentia parochi pure physica et materialis. »

(78. Et ultimo ibidem a num. 103, usque in finem, plurimis adductis rationibus, decisionibus et auctoribus, ad quartum dubium respondet negative.

(79. Nec supradictis obstant duae, quae solent allegari, resolutiones sacre congregationis Concilii. Una in Romana matrimonii, 6 Aug. 1706; et alia in Amerina matrimonii, 15 Decemb. 1714 et 12 Januar. 1715; ac si dicta sacra congregatio Concilii, recedendo a prioribus aliis resolutionibus, et praecipue a dicta Romana 6 Mart. 1700, in ea fuerit opinione in dd. Romana et Amerina ut sola physica parochi praesentia pro matrimonii validitate sufficiat, utque affectante parochi non audire, et revera ex ipsius facto, seu affectatione, non audiente consensum contrahentium, adhuc matrimonium sit validum. Tales enim sacre congregationis resolutiones nihil officiant, quia in tantum ibi sacra congregatio censuit validum esse matrimonium, non obstante affectatione parochi, in quantum, non obstante, quod parochus data opera, et consulto affectasset seu finxisset non intelligere ac percipere, revera tamen intellexit et percepit mutuum actualem contrahentium consensum, ut clare ostendit D. Ursaya, tom. I, p. II, discept. 2, a n. 245 ad 253.

(80. Hinc manifeste apparet nullatenus recessisse dictam sacram congregationem ab allegata supra num. 74 resolutione, in Romana 6 Mart. 1700, in qua raro exemplo interfuerunt 21 eminentissimi PP., nempe eminentissimi DD. cardin. Bullionus, Acciajulus, de Carpinea, Petrucci, Coloredus, Cantelmus, De Judice, Morigia, Tanara, Cincius, S. Clementis, Sacripantes praefectus, Noris, Paulucius, Radolovicus, Sperellius, Gabriellius, Bichius, Franciscus Barberinus, de Alteriis et Sancti Caesarei. Unde stat clarum, quod sacra congregatio concilii declaravit quidem valida matrimonia contracta coram parochis affectantibus, seu fingentibus non audire verba, vel non videre nutus contrahentium, sed in rei veritate illa audientibus, istos videntibus; nunquam vero pro validis habuit illa matrimonia contracta coram parochis, ex virtuosa et commendabili diligentia in exsequendo sanctionem generalis concilii Lateranensis

cap. 54, relat. in capit. Cum inhibitio 3, § Sane, De clandestina desponsatione, et confirmat. a concil. Trident., sess. XXIV, De reformat. matrim., c. 1, post princip., affectantibus non audire verba, vel non videre nutus attentantium clandestine contrahere, et revera illa non audientibus, vel istos non videntibus, et sic nullatenus mutuum eorum consensum percipientibus. Ut enim recte dicit doctissimus Rosignolus in Prax. theol. legal., De matrim. 1, praenot. 32, sub n. 5, secutus ab Ursaya, cit. discept. 2, n. 265. « Omnino improbabile est quod sacra congregatio voluerit testimonium illius esse validum, qui nihil percepit eorum quae facta sunt. Quomodo enim testificari potest de matrimonio quod non cognovit? » Et clare evincitur de mente ipsiusmet sacre congregationis concilii, quae in cit. Romana, die 6 Martii 1700, « absolute reprobavit opinionem, quod sufficiat praesentia parochi, pure physica, seu materialis, » hac viva ratione, quod non censeatur praesens, ad hoc ut de matrimonio testificari possit, nisi vere intelligat ac percipiat mutuum contrahentium consensum; arg. l. Coram Titio 209, ff. De verbor. signific. ibi: « Coram Titio aliquid facere jussus, non videtur praesente eo fecisse, nisi is intelligat; scire autem, non etiam velle is debet, nam, et invito eo, recte fit quod jussus est; » l. Non multum 14, ff. De auctorit. tutor., ibi: « Non multum interest an adfuerit tutor, cum negotium contraheretur, an praesens ignoraverit quale esset quod contraheretur; » l. Apud Labeonem 246, ff. De verbor. significat. l. Testium 18, Cod., De testibus cum similibus. Hinc sic recte concludit Gutierrez, De matrim., in cap. 69, n. 1, secutus ab Ursaya, cit. discept. 2, n. 65. « Cum igitur conc. Trident. ad valorem matrimonii requirat praesentiam praecise parochi, etc., intelligi debet juxta juris communis dispositionem, scilicet de praesentia more humano, hoc est cum intelligentia et advertentia actus, qui celebratur. » Vide ipsum Ursayam tom. I, part. II, disceptat. 2, per tot. et tom. III, part. I, discept. 1, per tot., ubi late et solide ad rem. Vide infra, n. 135.

Addenda, et notanda ex Benedicto XIV.

(In hac edit. Casin.)

« Trident. concilii decretum (sic Bened. XIV) c. 1, sess. XXIV, De reform. matrim., quo statutum fuit ut matrimonium coram proprio parochi, aut alio sacerdote de ejusdem parochi, aut episcopi licentia, et duobus testibus celebraretur, ita ut matrimonium aliter celebratum, irritum sit, occasionem aliquando dedit episc. postulandi (varia de hac re). Quare... quaedam tantummodo responsa hoc loco adjiciemus, quae data fuerunt episcopo Giennensi an. 1581, et relata habentur lib. III Decretorum, pag. 59 et seq. Episcopus siquidem, Ecclesiae suae statum referens, nonnulla dubia discutienda proposuit; quorum hoc primum fuit: « Utrum prohibitione facta ab ordinario ne parochus aliquos desponsaret, ita tollatur jurisdictionis ipsius pa-

« rochi, ut ad contrahendum matrimonium
« contra talem prohibitionem, non sit legiti-
« mus parochus. Huic autem talis fuit data
« responsio: Valere matrimonium contra-
« ctum coram paroco, cui interdictum est ab
« episcopo, ne interveniat. *Secundum*: Utrum
« matrimonium, in quo intervenit vicarius
« parochi, non invitus, sed volens, contra
« prohibitionem tantum ordinarii, sit vali-
« dum, vel potius invalidum, quia non inter-
« venit sacerdos habens jurisdictionem, cum
« sit sublata ab ordinario. *Secundo*: Esse va-
« lidum. *Tertium*: Si invitus, et compulsus
« per viam adsit sacerdos, dum contrahitur
« matrimonium, præcedente, vel non præce-
« dente dicta prohibitione, utrum tale matri-
« monium subsistat. *Tertio*: Subsistere.
« *Quartum*: Si sacerdos adfuerit, nihil tamen
« eorum, quæ agebantur, vidit, neque audi-
« vit, utrum tale matrimonium valide contra-
« hatur, vel potius, tanquam sine sacerdote,
« nullius sit ponderis et momenti. *Quarto*:
« Non valere, si sacerdos non intellexit: nisi
« tamen affectasset non intelligere. *Quintum*:
« Si adsit sacerdos, dum contrahitur matri-
« monium, casu, non cogitans se esse ad id
« vocatum, sed aliud agens, audit duos inter
« se contrahentes matrimonium, utrum sit
« validum tale matrimonium, in quo fuit præ-
« sens, non tamen certioratus, nec ad id ex-
« presse vocatus, neque interponens suam
« auctoritatem dicto, vel facto; vel potius sit
« nullum, quasi assistentia auctoritativa per
« concilium requiratur, et non nuda, vel cau-
« salis præsentia. *Quinto*: Valere, etiamsi
« parochus aliam ob causam adhibitus sit ad
« illum actum. » Hujus responsionis summa
« a Fagnano refertur in cap. *Quoniam*, n. 29
« et seq. De constitutionibus, et in cap. *Litte-
« ræ*, n. 5 et seq. De matrimonio contracto
« contra interdictum Ecclesiæ. Quæ vero ad
« quartum dubium fuit data responsio, cum
« alio convenit ejusdem congregationis judi-
« cio, edito die 29 Aprilis 1593, ut ex lib. VII,
« *Peccet.*, pag. 106, a tergo in quadam causa
« Ulyssiponensi, sacra congregatio censuit: si
« vera sint, quæ narrantur, et parochus
« affectaverit non intelligere, matrimonium
« valere.

« ... In supra relato decreto matrimonium
« illud effectu carere statuitur, cui parochus
« ita sit præsens, ut neque videat contrahen-
« tes, neque auribus eorum verba percipiat:
« eo enim casu præsentia parochi tanquam
« mere physica considerari debet, quæ ad
« matrimonii validitatem non sufficit, juxta
« id, quod in eadem congregatione definitum
« fuit in causa *Romana super dubiis matrimo-
« nii*; die 7 Martii 1700, in qua, cum ea res
« Innocentii XII Pontificis jussu diligenti exa-
« mine discussa fuisset, eorum improbata fuit
« opinio, qui contendebant ad validitatem
« matrimonii præsentiam parochi mere phy-
« sicam satis esse. Parochus enim interest
« matrimonio tanquam testis auctorizabilis
« pro Ecclesia; quæ, cum in aliis duobus,
« aut tribus testibus, ad matrimonium rite
« contrahendum necessariis, non eas qualita-
« tes requirat quæ illos omni exceptione ma-

« jores constituant, uti fuse demonstrat Syl-
« vius *Operum* tom. V, edit. Antverp., in
« *Var. resolut.*, verb. *Matrimonium* 10, § *Ad
« secundum*, idcirco parochi præsentiam voluit,
« ut in illius probitate maximum veritatis
« fundamentum statueret; uti colligitur ex
« historia dieti concilii scripta a cardinali
« Pallavicino, lib. XXII, cap. 4, n. 3 et n. 12.
« Parochus autem non potest testem agere
« tantæ in Ecclesia auctoritatis, nisi et videat
« contrahentes, et vel eorum audiat verba,
« vel ea non percipiens, signa saltem videat
« et intelligat, quæ mutuum significant
« utriusque partis consensum, juxta textum
« in citata l. *Coram*, ff. *De verbor. significat.*,
« cujus verba sunt hæc: « Coram Titio ali-
« quid facere jussus, non videtur præsentem eo
« fecisse, nisi is intelligat. Itaque, si furiosus,
« aut infans sit, aut dormiat; non videtur co-
« ram fecisse. » Cui conformis est can. *Testes*,
« 3, quæst. 9, ubi *Glossa* in verb. *Præsentia*,
« inquit: « Dum tamen intelligant; nam ali-
« ter non dicuntur præsentem: » et can. *In
« primis* 2, quæst. 1, ubi eadem *Glossa*, verb.
« *Præsentem*, subdit: « Et intelligente; alias
« non diceretur præsentem: » præter multo
« plura, quæ videri possunt apud Fermosini-
« um in tract. 2. tom. II *De offic. et sac. Eccl.*,
« in cap. 2 et 3, *De officio archipresbyteri*,
« quæst. 1, n. 63, et seq. et apud cardina-
« lem de Lauræa, loc. cit. art. 10, n. 240 et
« seq.

« ... Hoc igitur posito, videndos esse om-
« nino a paroco contrahentes, eorumque
« percipiendum esse consensum; aliqua tan-
« tummodo difficultas oriri potest ex iis ver-
« bis, quæ in laudato decreto leguntur nisi
« tamen affectasset non intelligere: cum enim,
« antea veluti pro regula statuatur, irritum
« esse matrimonium, si parochus conjuges
« non intellexerit, ea deinde subditur limitatio:
« « nisi tamen affectasset non intelligere. »
« Cujus limitationis ut verus sensus intelli-
« gatur, opus non est, intimam propriam-
« que hujus verbi affectasset, significationem
« studiosius inquirere et penetrare, quemad-
« modum juris civilis interpretes faciunt in l.
« *Quod ait lex*, § 2, ff. *Ad legem Juliam de
« adulteriis*; sed quoniam totum decretum iis
« verbis expressum est, quibus passim utitur
« curia, opportunius esse videtur prædicti
« verbi sensum, juxta communem, et usitatum
« in curia loquendi modum, interpretari. Af-
« firmarunt nonnulli, decretum illud de eo
« paroco intelligendum esse, qui et videt et
« audit, sed se nec videre, nec audire simulat.
« Ita sentit Neesen in suis *Tractatibus de ju-
« stitia et jure*, tract. 8, quæst. 6, *De sacram.
« matrim.*, dub. 4. « Petes, quid, si pastor
« ocludat aures et oculos et nolit intelli-
« gere quid agatur, an matrimonium sic con-
« tractum erit validum? Respondeo, si non
« intellexerit, nec adverterit quid actum sit,
« tunc matrimonium non valere, quia tunc
« revera non est moraliter præsens, ita ut
« possit testificari de matrimonio contra-
« hendo: secus dic, si advertat quid agatur,
« sed affectat non intelligere, aut data opera
« fingit, se non intelligere. »

« Hæc tamen verbi intelligentia minime
« probatur Pontio... et quidem merito; neque
« enim necesse fuerat decretum condere ad
« id stabilendum, de quo nullum est dubium,
« verum scilicet et validum matrimonium
« iniri, ubi parochus et videt et intelligit,
« etiamsi se nec vidisse nec audisse mentia-
« tur. Alii vero matrimonium irritum esse
« dicunt, quoties parochus revera non videt,
« neque intelligit contrahentes; etiamsi ideo
« non videat, neque intelligat, quia ipsemet
« consulto videre et intelligere noluit, ipseque
« sibi venditi et intelligendi modum ademit:
« ex ea nimirum ratione, quod minime poterit
« earum rerum, quas revera non vidit, nec
« intellexit, auctorizabile testimonium Ecce-
« lesiæ ferre, quantumvis ipse sibi impedimentum
« creaverit, ut non videret, nec intelligeret.
« Ita ratiocinantur inter nostros cardinalis de
« Lauræa... Monacellus... Giribaldus tract. 10,
« *De sacramento matrimonii*, cap. 7, dub. 12,
« n. 120.

« Hæc igitur est horum auctorum opinio,
« irritum semper et nullum esse matrimo-
« nium, si conjuges nec videantur, nec audi-
« antur a paroco; neque non solum si ab
« extrinseca aliqua causa, externoque impe-
« dimento adempta fuerit paroco videndi, au-
« diendi potestas, verum etiam si ipse sibi
« impedimentum ultro creaverit, ne videret,
« neque intelligeret. Itaque, re bene conside-
« rata, istorum opinio cum ea, quam superius
« exposuimus, sententia convenit; ut scilicet
« exceptio illa: nisi affectasset non intelligere,
« de eo duntaxat casu accipienda sit, quo pa-
« rochus re ipsa viderit et audiverit, sed
« simul et falsoque asserat, se nec vidisse,
« nec audivisse. Alii denique affirmant ma-
« trimonium validum fore, quod celebratum
« fuerit coram paroco, qui si nec vidit, nec
« intellexit, ipse sibi in causa fuit ut non
« videret, nec intelligeret; propterea quod vel
« aures sibi obstruxerit, vel faciem velaverit,
« ne audire et aspicere cogeretur. Et hic
« verus videtur esse illius decreti sensus,
« sicut colligitur ex Fagnano in cap. *Quoniam*,
« n. 23, *De constitutionibus*, et in cap. *Quæ-
« situm*, n. 7 et 8, *De penit. et remissionib.*
« Neque enim ulla haberi debet ratio affectatæ
« ignorantia illius, qui cum videre et audire
« commode posset, ipse sibi voluntarium po-
« suit impedimentum, ne videret, audiretque,
« juxta regulam textus in cap. *Cum inhibito*,
« § *Si quis vero*, *De clandestina desponsatione*,
« et § final, et can. 16, dist. 37. Neque porro
« æquum est, ut ab arbitrio, factoque parochi
« pendeat, libertatem matrimonii impedire.

« Illud autem objicere minime prodest
« adhibendam esse a paroco industriam om-
« nem, et diligentiam ad impediendum hujus-
« modi matrimonia, eumque canonicas penas
« incurrere, et signanter in suspensionem ab
« officio ad triennium incidere, si præsentiam
« præstet alicui matrimonio, quod fieri præ-
« sumatur vel sine præscriptis denuntiationi-
« bus, vel sine prævia dispensatione illius,
« qui super observantia earumdem denuntia-
« tionum dispensare potest: juxta decretalem
« in cap. *Cum inhibito*, *De clandestina despon-*

« satione. Quamvis enim verum sit adniten-
« dum esse paroco pro viribus, ut hujusmodi
« matrimonia fieri prohibeat; multoque magis
« eidem cavendum esse, ne eorum celebra-
« tioni voluntariam præsentiam exhibeat, ex
« his tamen hoc tantummodo sequitur, ut
« ipse data opera non debeat iis interesse, ut
« occasionem præstandæ iisdem assistentiæ,
« quantum fas est, evitare teneatur; ut, etiamsi
« forte circumventus aliove obtentu accersitus
« fuerit, contrahentes serio monere de-
« beat, matrimonia hujusmodi sine gravi culpa
« celebrari non posse; sibi autem dietam esse
« legem, ut eosdem contrahentes, si id quod
« deliberarunt re ipsa perfecerint, ad superi-
« orem deferat, a quo gravi pœna plectendi
« erunt; præterea se et animo, et voluntate a
« præstanda eorum nuptiis præsentia longe
« abhorre, cum hujusmodi contrahendi ratio
« a sacris canonibus improbetur: at nihil ne-
« cesse est aures obturare, velare faciem,
« aliaque hujus generis facere, quæ ad id solum
« valent, ut animos contrahentium aliquando
« scrupulis torqueant: qui scilicet, quamvis
« ut plurimum nesciant illicita ab invalidis
« distinguere, adhuc tamen non solum matri-
« monium, uti destinaverant, contrahere,
« sed etiam consummare non præmittunt;
« utrumque enim perficere in animo habent,
« quoties, circumvento aut deprehenso pa-
« rocho, coram eo proferunt verba ad mutuum
« consensum significandum idonea.

« Neque timendum profecto est, ne occultum
« remaneat matrimonium ea ratione perfectum,
« indeque aditus aperiatur ad celebra-
«andum alterum matrimonium, primo illo
« adhuc constante atque vigente. Quamvis
« enim hujusmodi matrimonium sit clandestinum
« de jure, utpote astute, atque dolose
« sine præviis denuntiationibus celebratum,
« sicuti docet Sanchez... probaturque ex se-
« quentibus verbis textus in cap. final. *De
« clandestin. desponsat.*: « Si quis vero hu-
« jusmodi clandestina conjugia inire præsum-
« pserit; » attamen fieri nequit, ut re ipsa, et,
« ut aiunt, *de facto* occultum remaneat: cum
« et parochus illud ad episcopum deferre, et
« episcopus adversus contrahentes judicialiter
« procedere debeat. Et sane quicumque huma-
« narum rerum ignarus non est, poterit ex
« propria experientia testari, pleraque matri-
« monia, quæ in parochiali Ecclesia præviis
« denuntiationibus publice et rite celebrantur,
« nisi conjuges fuerint alicujus spectatæ
« familiæ, vel dignitatis, ut plurimum ignorari;
« at nullum fuisse clandestinum hujusmodi
« matrimonium coram paroco dolose accito,
« aut malitiose deprehenso, sine præviis denuntia-
« tionibus in initum, cujus rumor et fama
« per universam parochiam et civitatem per-
« vagata non fuerint, tum propter conatus a
« paroco ad illud impediendum adhibitos,
« tum propter ipsius matrimonii delationem
« episcopali curiæ ab eodem paroco factam,
« tum denique propter judiciales processus ab
« episcopo adversus contrahentes institutos.

« Ex hæcenus dictis recte colligitur, præ-
« dicta verba: nisi affectasset non intelligere,
« de eo casu accipienda esse, quo parochus